

valens, in Lombardiam apud Cremonam ad statutum concilium [A] iter inchoavit, et apud Parmam magnam fecit moram [a], filium ejus Henricum cum terribili de Alamannia expectans exercitu; qui apud Tridentum [b] civitatem diu hospitatus est, ubi famae valida fuit, volens in Lombardiam descendere, et in eam cum patre, adjutorio Cremonensem et aliorum quorumdam sua iura manuteneret. Illico rectores Lombardiae, mala recolentes præterita, volentes futura vitare [c] deteriora, una ad imperatorem privilegia, quæ apud Constantiam facta fuerant, reformatre clamaverunt. Quibus protulit: Cum plenarie imperiale habebitis gratiam, nobis datis obsidib[us], reformabo. Quod verbum Lombardi audientes, viam filio penitus apud Veronam et Cumum, Cremonensis [d] vero super flumen Olii pontem facere volentibus, ad eius filium in Lombardia de prato sancti Danielis sublevandum, denegare curarunt; pontem vero, super Athesis flumen [e] factum, rectores Lombardiae modis omnibus laborarunt destruere. ^{3/} Videns autem imperator quod a filio succursum habere nequiret, principibus Alamanniæ, quos secum habebat, et aliis de Tuscia, Romania, atque Marchia revertendi concessit licentiam. Volens autem filius de civitate Tridentina [f] se ducre, totam vulcano [g] superante combussit. ^{4/} Demum dictus Imperator, non laeto recedens animo, per Pontem Tremulum Pisæ secessit [h], et deinde apud castrum Sancti Miniati resedit. Sed viso Florentinorum et Lucensium exercitu, super flumen Elsæ, concilio primo facto, nocte secessit, et versus Apuleam visus est equitare. ^{5/}

Eodem anno iuraverunt Farentini se adhaesuros Societati Lombardiae.

CAP. CLXXXII.

Eodem anno, die secundo mensis aprilis, Faventini ad postulationem Lombardorum renovaverunt iuramenta societatis Lombardiae, secundum tenorem privilegii facti apud Constantiam, tunc dicto imperatore, existente Ravennæ. ^{star. 2}

[a] fecit moram. Sic corrigo: faciens moram, Codd. — [b] qui apud Tridentum. Sic lego. Supplevi qui, nam aliquid in C. M. deesse ibi videtur. Idem C. M. habere videtur, apud Trentum. — [c] futura vitare. Sic lego; Codd., futura victare. — [d] apud Veronam et Cumum, Cremonensis etc. Codd. habent: apud Veronam. Cum Cremonensis vero super flumen Olii pontem facere volentibus. An legendum: apud Veronam et Cumum. Cremonenses vero etc. vel: apud Veronam. Cum Cremonenses vero super flumen Olii pontem facere vellent etc.? — [e] super Athesis flumen. Codd., super Atesis flumen. — [f] de civitate Tridentina, C. V.; de civitate Trentina, C. M.; et cum eo Cl. Mitt. — [g] totam vulcano. Sic lego. Codd., tota vulcano. — [h] Pisæ secessit. Sic corrigo. Codd., Pissis secessit. — [i] tunc dicto Imperatore. Sic C. V.; tunc diebus imperatore, C. M. — [j] existente Ravennæ, C. V.; existente Ravennam, C. M.

[A] Sive diaetam generalem.